CORNELII NEPOTIS
VITAE
EXCELLENTIVM
IMPERATORVM.

PRAEFATIO.

Non dubito, fore plerosque, *Attice*, qui hoc genus scripturae leue, et non satis dignum summorum virorum personis iudicent, quum relatum legent, quis musicam docuerit Epaminondam; aut in eius virtutibus commemorari, saltasse eum commode, scienterque tibiis cantasse. Sed hi erunt fere, qui expertes litterarum Graecarum, nihil rectum, nisi quod ipsorum moribus conueniat, putabunt. Hi, si didicerint, non eadem omnibus esse honesta atque turpia, sed omnia maiorum institutis iudicari: non admirabuntur, nos in Graiorum virtutibus exponendis mores eorum secutos. Neque enim Cimoni fuit turpe, Athenienſium summo viro, sororem germanam habere in matrimonio: quippe quum eius ciues eodem vterentur instituto. At id quidem nostris moribus nefas habetur. Laudi in